

156. — Ex dictis, iuxta mentem S. Lig., et aliorum ab ipso relatorum, doctrina de Communionem frequenti paucis et generalibus regulis constringi sic potest.

I^a Regula. — Communio *menstrua* nemini sat disposito deneganda, imo omnibus maxime consulenda est, etiamsi vitam degant negotiis saecularibus implicatam; secus enim valde difficile est, diu in divina gratia perseverare ob innumeras occasiones, et rerum aeternarum quasi oblivitionem. — *Ita communiter.*

II^a Regula. — Communio hebdomadaria permittenda est, imo et consulenda iis, qui graves culpas ex habitu non committunt: attamen illis, si pluribus vitiis levibus laborent, nec ullatenus sint de emendatione solliciti, aliquando utile erit Communionem aliqua hebdomada interdicere, ut scilicet aliqua alacritate ad vitia abiicienda excitentur (6). — S. Lig. n. 149.

III^a Regula. — Communio *frequens*, seu *pluribus* in hebdomada, permitti potest, aut etiam consuli iis fidelibus, qui licet debiles, officia boni christiani servant, tum Deum amare, colere et orare gestiunt, tum orationi mentali, cum possunt, aliquod tempus libenter quotidie tribuunt, nec in culpas deliberatas saepius labuntur. — S. Lig. n. 150. 153.

IV^a Regula. — Communio *quotidiana* concedenda iis est qui carent affectu etiam in culpas leves, malasque cupiditates maiori ex parte superarunt, et ad christianam perfectionem serio tendere conantur. Expedi tamen, si causa subsit, interdum semel, et aliquando etiam pluries in hebdomada Communionem iis subtrahere. — S. Lig. n. 130. — Vide *Casus*, tom. II, n. 13. et seq.

Denique notandum est, auctores frequenti Communioni adversantes, falsissimo principio inniti. Supponunt enim Communionem esse *mercedem virtutis*; at iuxta doctrinam SS. Patrum, Eucharistia *medium est acquirendae virtutis*.

APPENDIX II.

DE COMMUNIONE SPIRITUALI

157. — Communio spiritualis dicitur *pium desiderium Eucharistiae Sacramentum suscipiendi*, cum *realiter suscipi non potest*. Hinc ad eam requiritur 1^o *actus Fidei*, quo spiritualiter communicaturus Christum

munione: in quo solidis principiis, et ratione ad communem omnium captum accommodatissima diluuntur sophisticae ratiunculae, quibus et se personae quaedam pusillanimes, et alios quidam pseudo-ascetici a frequenti SS. Eucharistiae participatione detertere solent.

(6) Cave tamen ne fallaris a *principio* quod Auctor quoque paulo post appellat *falsissimum*, quasi nempe Communio debeat haberi ceu *merces virtutis*, cum sit *medium ad virtutem acquirendam*.

vere in Eucharistia praesentem sibi exhibeat; 2^o *actus mentis*, quo sibi in animo fingat iam iam ad sacram mensam accedere, et Hostiam de manu Sacerdotis accipere (7); 3^o *actus desiderii*, quo exoptet Christum in Sacramento suscipere et eum ipso toto corde uniri. Haec Communio Sanctis valde in deliciis fuit, et commendatur a *Conc. Trid.* sess. 13. c. 8. Haec piis fidelibus valde utilis est. Etenim si Deus praemio afficit pium cuiuscumque virtutis desiderium, quanto magis desiderium ipsummet possidendi! A Confessariis igitur fidelibus suis poenitentibus sedulo insinuanda, et vehementissime commendanda est. Communio spiritualis omni tempore et in omni loco fieri potest, tam mane quam sero. Tempus tamen opportunius est ipsius Missae tempus, quo scilicet Sacerdos communicat; tunc enim cum augustissimum Sacramentum oculis exhibeatur et vividius menti repraesentetur, ardentius corda divino amore inflammabit. — Scavini, etc.

PARS SECUNDA

DE EUCHARISTIA UT SACRIFICIO

158. — Eucharistia non solum *Sacramenti*, sed etiam *Sacrificii* rationem habet. Qua de re Catechismus Romanus *De Euch.* n. 71: *Differunt autem plurimum inter se hae duae rationes. — Sacramentum enim consecratione perficitur: omnis vero Sacrificii vis in eo est, ut offeratur. Quare sacra Hostia dum in pyxide continetur, vel ad aegrotum deferretur, Sacramenti, non Sacrificii rationem habet.*

Deinde etiam, ut Sacramentum est, iis qui divinam Hostiam sumunt meriti causam affert, et omnes illas utilitates, quae supra commemoratae sunt. Ut autem Sacrificium est, non merendi solum sed satis faciendi quoque efficientiam continet: nam ut Christus Dominus in passione sua pro nobis meruit, ac satisfecit, sic qui hoc Sacrificium offerunt, quo no-

(7) Phantastica haec repraesentatio nequaquam necessaria est. Potissima enim pars perutilis huius et suavissimae praxis in eo residet, ut quis in mente volvens tum quae immensam Domini nostri charitatem permoverunt ad hanc caelestem dapem nobis parandam, tum quae ad eundem participationem nos invitant, impelluntque, in ardens prorumpat desiderium hac mensa fruendi, atque eiusmodi affectui cum actibus fidei, humilitatis, amo-

risque insistens, effusissimam Domini Salvatoris benignitatem magna cum fiducia roget, ut illam gratiarum ubertatem, quam praesentia sua animam nostram invisens tribuere consuescit, etiam nunc misericorditer elargiri dignetur. Nam alioqui phantasticae repraesentationes non omnibus faciles accidunt, et si forte languidae sint, languescunt, ac misere arescent illi etiam affectus, in quibus praecipuus imo totus huius pii exercitii fructus residet.